

mortalem vitam evocavit. In hunc mensis diem conveniunt omnia Necrologia Cœnobiorum hujus Diœcesis, Abdinckhoviani, Hardehusani, Mariæ-Monasteriensis, Gerdensis, Herisiensis, Wilbacensis; in quibus anniversaria hæc dies, in sacris ex grata donationum & beneficiorum memoria præscripta peractaque est. Accedit Necrologium Cathedralis Ecclesiæ & Buxtorffiani Collegij in Notis ad Martyrologium Bedæ, in quibus idem dies anniversaria ejus memoriæ consecratur cum stipendio sacro Sacerdotum. Annus mortis hic idem est MCLX consignatus ab Auctore vitæ, qui triginta tres annos Episcopatum gessisse scribit; quemadmodum & nos res ab eo gestas per hos annos ordine deduximus. Totidem annos præfuisse memorat Chronicon Stederbergense, in quo disertè refertur anno 1160 obiisse. Quapropter errare dixeris Bruschium & Kerfenbrochium, qui anno MCLIX obiisse tradunt. Gobelinus postquam narrasset ea, quæ anno MCLX gesta sunt, subjungit: *Eodem anno Bernardus Episcopus Paderbornensis obiit, et successit Evergissus.* Pergit deinde narrare, quæ anno MCLXI gesta sunt; quanquam erret quòd Conciliabulum Papiense ad hunc ipsum annum referat, quod anno superiori, Indictione 8, mense Februario habitum diximus. Ab excessu è vita corpus omnium luctu, ut jusserat, deportatum est ad Hardehusanum Cœnobium ordinis Cisterciensium, humatumque grata in Fundatorem suum memoria, in medio Basilicæ choro, tumulo honorifico è terra altiùs erecto, mausolei in modum, ante aram Principem; quemadmodum hodie dum intra omnes bellorum turbas intactum aspicitur. Sepulchro hi versus inscripti,

*Subjicitur lapidi, lapidem qui jecit in isto*

*Fundo, Fundator præsul Bernardus, inardens*

*Perpetuo zelo latria, quem jungere vivo*

*Digneris lapidi, lapis unice, qui duo jungis.*

Præsul certè omni posteritatis memoriâ dignus, qui per triginta tres annos Episcopatum præclarè gessit; & magnitudinem animi cum religione ita conjunxit, ut nec in sago felicitas, nec in toga pietas unquam desiderata. Bellum quod contra Arnsbergensem Comitem gessit, necessitas diœcesis extorsit: quo semel domito, quietam habuit diœcesin. Opes, quas collegit, cum patrimonio effudit vel in Ecclesias exornandas, vel in Cœnobia religiosorum hominum; quorum quatuor, ut diximus, è fundamento erexit dotavitque. Castimoniâ, atq; omnium virtutum Episcopaliū ornamentis per omnem vitam conspicuus, eòque apud Lotharium & Fridericum Cæsares magnæ auctoritatis, carusq; Innocentio & Eugenio Pontificibus. Extat præclarum ejus encomium apud auctorem Chronici Stederbergensis ex rebus, quas hæctenus descripsimus, cum laude gestis. Quorum omnium instar erit testimonium Evergisi Successoris, à quo in diplomate recitando appellatur *inclytæ memoriæ Episcopus*, decus videlicet Episcoporum ea tempestate per Saxoniam.

ANNA-